

III.

REGNUM MORTUORUM.

Nro. 41.

Politica Mortuorum Colloquia.

Elysum-Meum, Die Veneris, 15. Jun. 1810. (Neov. 29. Maj. 1810.)

Perfacile id quidem est
Sanum futurum, mea ego id promitto fide.

Plautus.

Colloquentes Umbrae:

C. F. Paullini — Medicus circumforaneus.

M*ed. Circumfor.* Omnino cum tua Clarissime
Medicinae Doctor! curandi ratione impegi.
Equidem gallinae sterco in lacte solvi occa-
sione difficilium partuum, id vino miscui in
ileo: aequè Stercus ex pullis vino macera-
bam, occasione febris frigidae; ut Clari-
tas tua libris mandabat — ad inquisitionem
tractus sum fatebar: — me Dominationis
tuae curandi rationem secutum esse, quid fa-
ctum? ludibrio patui, risu exceptus sum,
non consilium, sed flagellum abeundi acce-
pi (ad amicam aurem) pulsus sum.

Paull. Profecto mirum! Stercus s. v. galli-
naceum potentem in humano corpore tamen
mutationem facit. Stercus gallinae adver-
sus caninae rabiem ipse jam Plinius L. VIII.
Cap. 40, praecipue commendabat, ergo de-
bet effectum dare.

Med. Circ. Quid iuvant hæc omnia. — Hodie nec Plinius nec ejus scripta leguntur, sed persequendi mos est honestum virum, secundum veteres morbos curantem, & eorum opera legentem.

Paull. Præsto nobis sunt veterum Græcorum, Romanorum, Batavorum, Anglorum, Italorum, Gallorum & Germanorum opera medica, quæ valorem suum non amisere, imo quamquam sæculorum plurium statem ferant, suam nihilominus habent utilitatem.

Med. Circ. Ita quoque factum: ut cerebrum Gallinaceum vino maceratum ad verus intoxicationem adhiberem. Interior cutis ventriculi siccata & in pulverem redacta usum egregium præbet in dysenteria & stomachali adfectione, fel vero gallinae (O quantum arcanum!) in oculorum morbis est, quod Non plus ultra adpellamus — adeps gallinaceus egregium auribus adfectis antidotum — quæ omnia ex veteribus auctoribus demonstrare possum.

Paull. Cum bona amicos Dominationis venia dicere liceat: Vere genuinus Gallinaceus Medicus in Mundo superiore fuerat. — In qua Universitate, obsecro, doctorali laurea redimita est?

Med. Circ. Ego Colonorum duntaxat Medicus ruri eram. — Verum me *graduati* (quis scit quomodo?) doctores persequerentur — ut tandem de loco ad locum circum errare debuerim — accidit: ut vice quadam ad ar-

cem pervenirem, cujus prædives dynasta podagræ doloribus vexabatur. — Ego me adesse nunciari curavi, operam meam offerens, & dignetur excipere clarissime Medice! quam is ad propositionem meam declarationem reddiderit! quæsit videlicet, homo lepidus ne dicam, an demens? certe salutis parum curiosus suæ, quæsit inquam: rhedane advectus, an pedes aulam ejus subierim, Cubicularius, ut debuit, adfirmabat alterum; desponde igitur, reponebat, eique dicit: ut ad lidos & Garamantas se conferat, quippe, si quid artis & opis adversus malum, quo discrucior, ei cognitum esset, si quod remedium ei præto esset, sexiga vectus in epheborum comitatu ad me adpulisset, & ego nequidquam cunctatus fuisset, dimidiam fortunarum mearum partem ei transscribere dummodo a malefausta Arthritite liberari possem.

Paull. Nunc rem manu comprehendo! jam intelligo! Vestra Dominatio in superiore Mundo Medicus circumforaneus fuit. — Non male! — ex quo homines in societate vivunt, continuo Circumforanei & defraudati erant, atque usque hoc erit, quo homines fuerint. — Intelligere licet homines continuo sibi constare, & jam sapientia excellentissimus Salomo recte dicebat: Nihil sub sole novi fieri.

Med. Circ. Id quidem dubio vacat, Medicos Circumforaneos rursus futuros, at alius generis, quorum characterem, Gradui Doctorali insignitis parcendi gratia describere istis nolo. —

At ut ad Gallinas meas revertar, assevero ultroque contendo: eas omnium animalium intuitu Medicinæ utilissimas saluberrimasque esse. — Ipse adumbro Medicorum fessionem." In diversis morbis ex Gallinis parata juscula & dapes ceu præcipuum medicamentum considerari queunt, ad illos referuntur omnes species profluviorum ventris præprimis dysenteria. Memorata jura ob succosas constitutivas partes suas perquam pretiosa sunt, suppleunt mucum, qui disperditur, dolores leniunt, spasmos sopiunt. In hecticis morbis non modo alimenterum, sed & pharmaci loco censeri possunt. In diurnis febribus & membrorum tremoribus commendat ea Pinius variisque casibus illustrat, consentit Serenus.

Paull. O Magne eximie Gallinacee Medice! omnia verissima, exactissima, ut nihil supra. At at: quod ad Podagram Dynastæ in arce — hæc continuo curiositatem meam exercet — qua, obsecro, ratione ei mederi D. V. meditabatur? —

Med. Civ. Hanc ego a Celeberrimo Portugallico Medico altero Aesculapio doctus sum. Edidit hic Machaoniæ artis lumen An. 1742 eruditam dissertationem, quæ in Italicum & Oeniponti per Cl. Doct. Gravenried in germanicum traducta sub titulo: *Curatio Podagrae*; ratio curandi paucis absolvitur, nec alii cuiquam quam solis Gallinis debetur. — *En Recipe!* Accipe epidermidem a testa ovi facile resolubilem, appone podagra adfecto

membro, intra bihorii spatium levem vesicam ad morem pene Cantharidum attrahet, & dolores evanescent. — Ipsi recentiores Medici hanc proprietatem ovi fatentur his verbis."

Singularis dos est cuticulæ interiori testæ partem ambientis propemodum effectum præbet ut emplastrum Cantharidum; etenim parti corporis adposita aliquot post horas sequitur rubor, dolor & inflammatio. Id vero rerum optima magistra experientia docet: hoc remedio derivationem humorum & succorum, proin salutarem revulsionem impetrari. In febribus probatum remedium est," hoc neque Neoterici, at Podagræ quoque antidotum esse, nondam adhuc norunt.

Paul. O præclarissime Gallinæe Medice & Doctor! dignus es intrare in docto nostro corpore!

Med. Circ. Equidem Claritudini Tuæ meo hocce Colloquio demonstrare volo: non omnem Circumforaneum Medicum hominem rudem esse. Id quoque dicere oblitus sum, memoratam pelliculam non una obligatione dolores sopire, sed repetitione opus esse frequentiare.

Paul. Bene, erudite, docte! Sane adquiesco dictis. Sed, age, isthic ad Charontis Casam quæ novitates ex superiore mundo allatæ sint, reciscamus. (Legunt Ephem. Pilitico Statisticas.)

BIOGRAPHIA.

Christianus Franciscus Paullini Isenaci
Anno 1643 ætate sua celebrer erat Medicus —
& memorabilis scriptor. Praxi Medicæ ma-
gna nominis gloria operam dabat Hamburgi,
& Altonæ; exactisque multis itineribus, eruditissi-
que peregrinationibus & vicissitudinibus in sua
patria obiit 1712. Scripsit 28 libros ampli
voluminis, physici, medici, diplomaticique
argumenti, præter multas dissertationes, e
quibus hæc adhuc legi merentur: 1) Salutaris
Stercorum pharmacopœa. 2) Flagellum sa-
lutis, seu de ratione verberibus & Fustiga-
tionibus morbos curandi, prima Francofurti
ad Moenum 1696, altera ibidem 1698 typis
edita est, porro: de Asino, item de dextra
manu &c.

*Continuatio argumenti de Pace Ecclesie vi-
de Newid. Nro. 33 & 40.*

„In his adeo venerabilibus tam eximie
communis utilitatis Congressibus, in Oecu-
menicis Conciliis semper divina Salvatoris
promissio probata est dicentis: *Si in meo
nomine congregati fueritis, ego ero in medio
vestri.*”

„Dirigamus ad divinam providentiam vo-
cæ Precesque nostras pro Ecclesie pace, in
hac adeo notabili Catholicæ Germanicæ parte.
— Pax hæc ad temporalem & æternam sa-
lutem populorum tantopere utilis eorum in
Imperantes obsequium consolidatura, fortassis
Catholicorum cum Protestantibus unionem
per Christianæ Charitatis spiritum faciliorem
redditura est.

„Communis isthio, & in foederis Statibus in specietant opere exoptanda Reunio non ante in effectum deduci posse videtur, quam hierarchicum Systema consolidatum fuerit. Quomodo etiam Unio locum haberet, si quidem ii, qui solida & officio adaccommoda ratione ad eam operam conferre possunt, verbo: usquedum veriEpiscopi in his regionibus non adfuerint?”

„Solo verorum Fidelium mutuo amore ea præparari potest. Cum hi omnes hemines, præsertim Christianos, ut semet ipsos ament, sit, ut hoc ipso fiduciam promoveant, odii fomitem suffocent, quod ex opinio num diversitate promanat, quarum perfecta consensio opus duntaxat divinæ providentiæ esse potest, cum veræ fidei lumen ejus gratiæ donum sit.”

„Cel. Boffvet, Molanus, Leibnitzius, diversique recentiore ætate Eraditi utriusque Communionis, limites possibilitatis accessus disquisivere, quem solus Deus efficiendo est. Usquedum auspiciatus hic articulus temporis illuxerit, sequamur consilium S. Joanni Evangelistæ, qui grandævus continuo repetebat: diligite vos mei filii invicem.

S. Bonifacius.

Res mirabilis est: potiorem Germaniæ partem — per Anglum — Winfredum, postea Bonifacium dictum ad sacra Christiana perductam esse — Thuringia, Saxonia, Hassia, Frisia tum Bavaria octavo Sæculo occi-



dente tum in Gallia Merovæa Dynastia ab eo ad Christi fidem conversa est. An. 747 ab Zacharia P. Archi Episcopus denominatus, et dum Frisiis evangelium prædicaret 755 in planitie Dakuæ ab eis occisus est.

Suspiria Mariti.

Ex germ. L Giseke.

Ex quo sacra ferens, Hymenæo vota litanti
Uxor Conjugii lege ligata mihi est.
Non fuit ulladies (miserum me quis negat esse?)
Qua, adnuerat rursus, vocibus illa meis.

In hac Typographia Viduæ et Heredum Bellayanorum novissime prelum deseruerunt.

P. Basilii Alexovics Sermones Sacri, festi-
vales & Dominicales, V. Tomi 8. maj. 8 fl.
quavis Tomus separatim a 2 fl.

Hertzeg Piripionak tündér története irta Wie-
land után Magyar Földjeinek mulattatásá-
ra Fellegváry Agoston. 8. 1804. 36 xr.

Wieland, Téli Regi. 8. Posonyban, 1804. 20 xr.
Theophron, vagy a' tapasztalt Tanácsadó
tapasztalatlan Ifjúság hazsnára. 1804. in 8.
1 fl. 45 xr. Posta papirosra 3. fl.

Principia Politicæ, & Rei arariæ &c. latine
reddita a Volfg. Beke, III. Tomi 6 fl.

Fedor, és Mária, vagy a' hőltig-tartó ritka
hűség, és a' nagyra vágyásból származott
gyászos, de méltó szerentsétlenség'
tüköre. N. V. Ajtay Samuel által. 1807.
8. 1 fl. 12 xr.